

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad
exeqvias Fœminæ
*Præcellentissimæ, sui sexûs, generis & ordinis orna-
menti rarissimi*

ROSINÆ MÖSTELIÆ,

VIRI

Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi

DN. ADAMI HERRNS /

JurisConsulti famigeratissimi, Judiciï appellationum
Electoralis Sax. quod Dresdæ est, inferioris Lusatiz
& Scabinatus Elect. Assessoris gravissimi, Con-
sulis hujus loci meritissimi, &c.

Viduæ

Cives Academicos

post I. pom.

invitat,



Biogr. erud.

D. / 589, 24

Witt. Erud. lang. - Joh. Bach - 1793

RECTOR

ACADEMIAE LIPSIAENSIS

EXC. IN F. C. M. S.

P. R. O. V. I. S. I. O. N. E. S. U. N. D. A. C. T. U. S.

ANNO 1711

ROSIKAMÖSTELIA

1711

ADAMUS ROSENFELD

DR. ADAMI ROSENFELDI

IN COLLEGIUM JURISCONSULTORUM, JUDICIUM APPELLATIONUM

PROFESSORIS, QUOD D. B. S. D. C. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S.

IN COLLEGIUM JURISCONSULTORUM, JUDICIUM APPELLATIONUM

IN HIS PARTIBUS SOCIIS MERITUM, &c.

Vidua

Dei Advocatus

Post. I. post.

1711

7



Vod Philosophis quibusdam
in ore natasse ferunt, Philoso-
phiam esse meditationem mortis,
id Christiani suum non immeri-
to faciunt. Licet autem mor-
tem quidam metaphoricam, qua
intellectus in Philosophia Theo-
retica exuitur inscitiae rubigine,
in Practica τὸ μέγος ἄλογον rectae
rationis imperio subordinatur,
& ita vitiis eximitur, eosdem intellexisse, velint, quod ta-
men in his ipsis minimè substiterint, sed altiùs ad εὐδαιμονίαν
utramq; tam theoreticam, quam practicam, quin & μακα-
ριότητων vicissitudinibus nullis obnoxium in Concilio Deo-
rum post hanc vitam obtinendum, cogitationibus suis as-
surrexerint, consentaneum omninò videtur. Nobis Chri-
stianis, unde mors originem trahat, quid sit, quo tempore
sit expectanda, & quod ipsi remedium opponi queat, po-
tissimum venit attendendum. Dolendum sanè, inter eos,
qui Christianos sese venditant, inveniri, mortem sequelam
naturae, cui Protoplasti etiam, antequam divini mandati re-
pagula perfregissent, obnoxii fuerint, asserentes. Stipen-
dium esse peccati, per peccatum, & quidem invidia Diabo-
li, sub ingressum in mundum, sacrarum literarum monu-
mentis informamur. Quid verò mors sit, non idem cum
sapientioribus, in quibus scintilla diffusa est lucis melioris,
quisquiliæ vulgi sentiunt. Quia pingitur, ut σκελετόν sive
compages ossium carnibus & cartilaginibus nudata, cle-
psammum tenens & oculis hominum objiciens, talem et-
iam rude vulgus in sua essentia mortem esse persuatum ha-
bet, opinionis suæ tam tenax, ut ad αὐτοψίαν provocare audeat.
Sed hieroglyphica sunt hæc omnia, ex metonymia effe-
ctus,

Rom. 5.
6.

A

ctus,

ctūs, quòd mors tales efficiat, (sicut propter eandem figuram atra, pallida, lurida dicitur,) derivata. Inse nihil est aliud, quàm poena humano generi propter peccatum irrogata, corporis & animæ unionem dissolvens. Hæc ipsa, cum senibus sit in januis, juvenibus in insidiis, quovis momento venit expectanda.

Mors certa est, incerta dies, incertior hora:

Quare supremam quamlibet esse puta.

Latet unus dies, ut observemus omnes, & vitam nostram ita componamus, ac si qualibet horâ sit emigrandum. Quia verò terribilium terribilissimum mors est, de remedio aliquo, quod ipsi opponi queat, cogitandum. Id non est aliud, quàm vita ipsa, Salvator noster meritisimus, qui mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Hunc si fide amplectimur, mors aculeo & amaritie privata, nobis in placidum somnum, dulce lucrum & Paradisi vestibulum convertitur. Sic vitam suam mortis meditationem esse sivit, & per eandem, ceu *πρόθυρον*, ad æterna pacis tabernacula penetravit Foeminarum Præcellentissima, sui sexūs, generis & ordinis Gemma nobilissima ROSINA MÖSTELIA, Viri quondam Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi Dni. ADAMI Herrens / Jcti famigeratissimi, judicii appellationum Electoralis Saxonici, quod Dresdæ est, inferioris Lusatia & Scabinatūs Electoralis Assessoris gravissimi, Consulis hujus loci meritisimi b. r. viduarelictæ, quæ, licet haberet, cur de natalibus & matrimonio exoptatissimo sibi gratularetur, & super iisdem in sinu gauderet, vitamq; proinde sibi prolixam apprecaretur, tam decorè tamen vixit, ac si divertendi, non habitandi locum naçta quovis momento statione suâ cedere deberet, & si quid terroris, quod omnibus est commune, mors Ipsi forsitan injecit, objecto CHRISTI merito, ceu paratissimo remedio,

medio, id ipsum elisit & elusit. Hæc Fæminarū Optima cū
 pomeridianis horis communi matri sit restituenda, nos
 gratam ἀναμνησιν Parentum & Mariti desideratissimorum,
 simul refricantes eleganter confectum & absolutum im-
 pensum vitæ pensum, etiam ultra Climactericum magnum
 productum ὡς ἐν συνόψει delineabimus, & ut exemplo sit
 posteritati, Minervæ peplo intexemus. Si locum & tem-
 pus nativitatis, si Parentes τῆς ἐν ἐν Φημεία nostræ respicimus,
 splendida fuerunt omnia, & aliis inter votorum fastigia
 ponenda. Lucem quippe Lipsiæ, quam ditionum ha-
 rum Cor ab ipsis supremis Magistratibus dictam memini-
 mus, & eo quidem tempore, quo halcyoniis exoptatissi-
 mis utebatur, & aureo, quod dicebant, imbre rigabatur, an-
 no scilicet præcipitantis seculi superioris 99^{no}, 13. Apr. ad-
 spexit. Patrem coluit Reipublicæ hujus Lipsiensis Urbicæ
 Atlantem Virum Magnificum, Nobilissimum & Emi-
 nentissimum Dn. THEODORUM MÖSTELIUM Se-
 niolem, magni nominis Jctum, in Schönau & Groß-Miltitz
 hæreditarium, judicii appellationum, quod in aula Serenis-
 simi Sax. Electoris est, & Scabinatūs Electoralis Assessorem
 splendidissimum, Reipublicæ Lipsiensis Consulem meri-
 tissimum: Matrem Fœminam primiceriam, omni virtu-
 tum genere insigniter coruscantem URSULAM, ex anti-
 quissimo & carissimo PEILICKIORUM genere Satam &
 natam: Avum paternum Dn. M. TOBIAM MÖSTE-
 LIUM, Curie provincialis h. l. supremæ Proto-Notarium
 dignissimum: Avum maternum Dn. WOLFFGAN-
 GUM PEILICKIUM, relictum Scholæ provincialis
 Grimmenis Præfectum fidelissimum: Proavum mater-
 num Reipublicæ Lipsiensis itidem columnam firmissimam
 Dn. WOLFFGAN GUM PEILICKIUM Seniolem,
 Scabinatūs Electoralis Assessorem & Consulem hujus lo-

ci nominatissimum, præclareq; meritum. Per lavacrum
 regenerationis CHRISTO concorpor facta ἐξ ὀνύχων ἀπα-
 λῶν ad exercitia pietatis fuit assuefacta, cui, tanquam funda-
 mento solido, virtutes reliquæ, statum præsertim virginal-
 em exornantes, fuere superstructæ, successu tam felici, ut
 speculum esset, ad quod aliæ sese fingerent atq; compone-
 rent. Non potuit itaq; non in sui amorem virtutis aman-
 tes allicere, prout maturè, cum vix annum ætatis decimum
 sextum attigisset, à prædicto cum honoris præfatione Vi-
 ro Dno. Doctore ADAMO Herrn vitæ consors fuit expe-
 dita. Cujus petitio, quia fundamento non arenoso nite-
 batur, præmissis piis precibus, suorumq; consensu, à Pa-
 rentibus Beatissimæ nostræ in vivis tunc existentibus u-
 trisq;, haut difficulter eandem anno currentis seculi 15^{to},
 quarto Cal. Sept. per solennitates Ecclesiasticas sibi junctâ
 obtinuit. Licet autem hoc matrimonium extiterit ἀκαρ-
 πον, eodem tamen nihil jucundius, nihil amabilius, cum o-
 culos & mentes hoc par amussitatum sibi conformaverit,
 ut una in duobus corporibus anima videretur. Interim,
 quia vita hæc manet γλυκύπικρον, imò plus aloës, quàm
 mellis habet, calicem crucis non delibare duntaxat, sed &
 plenis faucibus haurire coacta fuit ἡ μακαρίτης, cum anno
 currentis seculi trigésimo tertio Maritus carissimus post ur-
 hujus obsidionem & occupationem à milite Cæsareo pro-
 pter partem λύτρα ab incolis solvendi residuam captivus ab-
 duceretur.

Quantum vulnus ipsius cordi per hanc avulsionem
 & futurorum metum inflictum fuerit, hariolari quivis faci-
 lè potest. Nec ultra biennium post reditum Maritus Bea-
 tissimus in vivis diu fuit, sed ineunte labentis seculi anno
 36^{to}, adulto mense Januario, per beatam analysin rebus hu-
 manis vale supremum dixit. In tantum per hanc διχοθμίαν
 acer=

acerbissimam *ἡ ἐν ἀγίοις* nostra conjecta fuit luctum, ut vi-
dicitatem suam nunquam migrare animum induxerit, in-
qua etiam sententia perstitit, licet calamitatibus variis, sta-
tushujuspedissetquevis, involveretur. Ex eo tempore ter-
renis omnibus, inprimis congressibus lætioribus renun-
ciavit, & ut *ὄρφω* vidua, per annos 30. & quod paululum
deficit, in pietatis exercitiis publicis & privatis ad exem-
plum aliarum quod ad beatam emigrationem temporis su-
per fuit, exegit. Adversitates bellicas & contributiones in-
tolerabiles patientiã superavit, ac veluti rupes invicta flu-
ctus insultantes fregit. Ut Christiana domum suam nulla-
tenus arenæ, sed petræ, secundum Salvatoris monitum,
superstruxit, ex lectione, meditatione & auscultatione ver-
bi divini semetipsã in pietatis studio perfectior indies eva-
sit, velut apis sedula mellificia sacrarum meditationum &
precum sibi composuit, singulis diebus Dominicis su-
per Evangelicas pericopas Theologorum celebriorũ ex-
plicationes legit, inq; succum ac sanguinem convertit, fre-
quenti mysteriorum usu fidem suam firmavit, consangvi-
nitatis ac necessitatis vinculo tum sibi, tum Domino Mari-
to junctas aliis *ὀποροφαιμὸν* educavit, & in pietatis cum vir-
tutibus confibulatæ gymnasiis laudabiliter exercuit, dome-
sticis pietatis exemplo præluxit, indigentiam proximi pro-
viribus levavit, & ut uno fasce comprehendamus, non ti-
tularem, sed realem Christianam omnibus sese proba-
vit. Vitæ pausam quod concernit, præterquam quod
cum ætate vergente vires sensim decreverint, præterito
tempore verno cum subitaneis corporis doloribus & cru-
ciatibus, qui suos insultus post parvi temporis inducias re-
petierunt, colluctari cæpit. Quantumvis autem tor-
minibus istis per medicamenta preciosissima obviamitum
fuerit, vires tamen attritæ reparari minimè potuerunt.

Qua-

Quare fatalem horam instare sentiens *ἠμωραῖος* ante aliquot septimanarum spacium sacro viatico ad beatam ex his terrenis fecibus ad æterna gaudia emigrationem se instrui curavit, idem factura denuò proximo Solis die, nisi vitæ ac mortis arbitro receptui canere placuisset. Eo ipso siquidem, postquam vivis ex myrothecio Spiritus S. desumptis solatiis instructa fuisset, fidei suæ confessionem edidisset & benedictionem Ecclesiasticam accepisset, in hoc theatro mundano per annos 66. menses 3. septimanas 2. dies 5. personâ suâ *εὐχνημόνως* functa, cum precibus & inter preces adstantium animalam suam in manus Savatoris exhalavit. Ita per placidam analysin, tanquam januam, ad æterna pacis tabernacula Beatissima nostra pertransiit: Sic ad Patres suos collecta ipsorū gaudia, fragrantissimum unguentum, famam posthumam, inter superstites auget, suiq̄ve desiderium notis omnibus relinquit. Dulces exuvias post auditam I. pom. suis etiam aggregabimus, & quod debemus huic Matronæ laudatissimæ, supremum honoris officium persolvemus. Nostros autem ut frequentes nobiscum in funus procedant, & ita mœstissimis lugentibus *σὺ μὲν ἄθροον* de utraq̄ve familia residuis honorem suum declarent, his ipsis jubemus. P.P. 3io Id, Sextilis, anno M DC LXV.

LIPSIÆ, LITERIS RITZSCHIANIS.